



Hartmuotus literarum amore S. Gallense monasterium ingressus est, eo tempore scholam per superiorem Germaniam celeberrimam. Itaque cum foelici esset ingenio praeditus, breui in uirum doctissimum, & ad res agendas promptissimum eua sit. Cum itaque Grimoaldus Anno 841. sub rege Ludouico eius loci abbas eligeretur, Hartmuotus ille monachorum electione abbatis uicarius constitutus. Grimoaldus enim regis facellanus plerumque aulam sequebatur, nec unquam cucullam induerat. Eo tempore Hartmuotus scribarum opera usus optimos quosque autores transcribi, atque exemplaria multiplicari curauit, ne posteritas bonorum autorum, praesertim sacrorum lectione destitueretur. Hinc factum ut de bonis literis optime ille sit meritus. Eius etiam diligentia multi principes & nobiles bona sua huic monasterio conferebant, ut laudabile illud institutum eo in loco perfici posset. Cum autem Grimoaldus uita fungeretur, Hartmuotus ob eruditionem & pietatem omnium consensu abbas electus est. Tum demum Nouum Testamentum, atque psalterium aureis literis describi curauit, atque ligaturam pretiosis gemmis & lapidibus ornauit, quae adhuc eo in loco supersunt. Monasterium etiam illud multis aedificijs & egregijs picturis passim decorauit, ita ut eius memoria ibidem adhuc recens existat. Vnde Carolus Grossus imperator monasterium illud multis priuilegijs et circumiacentibus praedijs donauit.